NOBILISSIMO JUVENI,

ALBERTO von Daſſel/
PATRITIO LUNÆBURGENSI,

ſempiterna gaudia,

in quæ per placidum beatumq; obitum XII. April, anni præſentis cIↄ Iↄc LXV. translatus fuit,

gratulatur

CHRISTIANUS Kortholt/
S. Theol. D. & Prof. Publ.

QUando ſinum tellus aperit, gramenque miniſtrat,
DASSELI, nigra Tu tumularis humo?
Triſtia prætereunt pedetentim tempora brumæ,
Et facies blandi veris amœna redit:
Omnia nunc riſum meditantur, & omnia gaudent,
Sive ſolum ſpectes, ſeu mare, ſive polum.
Tu tamen hæc temnis, DASSELI, gaudia, longum
Atq; valere jubes quidquid hic orbis habet.
Illecebræ mundi nullæ potuere morari
Quod meditabaris, Cœlice civis, iter.
Scilicet haud digna eſt præſentis gloria ſecli,
Digna haud ſunt terræ gaudia, magna licet,
Quæ cum cœleſti cumulo conferre bonorum &
Lætitia æterna compoſuiſſe queas.
Ergo feſtinare Tibi de ſede caduca
Et fixam viſum quærere, amice, fuit.
Hanc igitur merito Tibi gratulor. Euge, triumpha!
De morbo lætus morteq; victor ova!

ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

Universitäts Bibliothek München